

surat actum, nisi secundum modum cognitionis, quæ si nulla est, nullum quoque peccatum est : si minor vel major, minus vel majus peccatum est ; ergo si finita est cognitio, etiam finitas tantum malitia peccatum est ; alioquin virtutes theologicae, visio beatifica, et peccata venialia *simpliciter* infinita forent. Adde, hoc ipso quod malitia et offensa possit *augeri*, cum nulla sit determinata peccati malitia omnem intra genus suum possibilem malitiam formaliter vel eminenter continens ; nullum peccatum dici posse *simpliciter* infinitum.

Si ait 1º. Quantitas offensæ desumitur a dignitate offensi. Offensa est vere divina; ergo et infinita. Satisfactio personæ infinite est infinita; ergo et offensa personæ infinite.

R. Dignitas offensi mensuratur offensam secundum modum cognitionis; hec cum in offensis creaturarum sit duntaxat finita, æquare dignitatem non potest. Ut offensa sit *divina*, sufficit cognosci personam offensam esse divinam; sicut, ut offensa sit regia, satis est cognosci personam offensam esse regem : ut sit *infinita*, debet cognosci dignitas Dei offensi quantum cognoscibilis est. Persona infinita in *satisfactione* influit per se, immediate, et ut principium quod intrinsecum, cum actiones sint suppositorum : persona autem infinita offensa in offensam influit tantum ut objectum extrinsecum, et mediante cognitione, eaque finita. Proin actiones Christi, quamvis in entitate sua finitæ, infiniti tamen valoris sunt, quia Verbum non dignificat merita *ut cognitum*.

Si ait 2º. Sanctitas personæ est forma intrinsece dignificans actus meritorios; ergo et vilitas personæ offendentis intrinsece indignam reddit offensam. Satisfactio condigna pro peccato dari non poterat, nisi a persona infinite digna; ergo peccatum supponitur esse infinitum.

R. *Meritum* tanquam obsequium supernaturale non provenit nisi a principio supernaturali intrinseco; *demeritum* autem, ceu opus naturale morale, præcise provenit a principiis effectivis et directivis moralitatis, inter quæ vilitas personæ non recensetur. *Satisfactio* pro peccato requirebat personam divinam, non propter malitiam peccati infinitam, sed propter æqualitatem personarum, offensæ et satisfacientis, in qua fundatur satisfactio propriæ talis.

Si ait 3º. Peccatum excedit omne malum finitum : præponderat omnibus bonis operibus in infinitum multiplicatis : non est prudenter eligibile præ aliis etiam infinitis malis; ergo infinitæ malitiae est.

R. Peccatum excedit omne malum, quod est extra suum ordinem; et sic infinitum est *secundum quid* et ratione ordinis, quia major offensa non datur, quam divina : non autem excedit omne malum etiam intra suum ordinem, quia semper possibilis est major gradus et intensio malitiae; et sic nullum est in se ac *simpliciter* infinitum. Quod preponderet infinitis operibus bonis, inde tantum sequitur, peccatum esse superioris et perfecte *infiniti ordinis*, ad quem non pertingunt ulla creature obsequia, utpote finita. Instantia est in peccato veniali. Non est eligibile præ aliis infinitis malis, ob sui cum divina voluntate, quæ est regula omnis electionis, oppositione; non ob malitiae infinititudinem.

Si ait 4º. Peccatum aufert a Deo bonum infinitum, scilicet rationem finis

ultimi : privat hominem Deo, bono infinito : meretur pœnam æternam, adeoque infinitam; ergo et ipsum in se infinitum est.

R. Peccatum aufert a Deo rationem finis ultimi *extrinsecam*, qua Deus actu prefertur aliis omnibus : non vero *intrinsecam*, quæ de se est digna, ut omnibus creatis anteponatur; scilicet infinitam Dei excellentiam et beatitudinem. Privat hominem Deo, infinito quidem bono, at finite tantum nobis communicabili. Meretur pœnam tantum *extensive* infinitam, cum intensive infinita possibilis non sit; et sic Deus punit quidem infra condignum quoad intensionem, non autem quoad durationem.

CAPUT II.

DE CAUSIS ET EFFECTIBUS PECCATI.

ARTICULUS I.

AN DEUS SIT CAUSA ET AUCTOR PECCATI?

20. *Nota.* Deum peccati causam statuerunt *Simon Magus*, *Cerdon*, *Marcion*, *Manes*, aliquique post illum, qui bina omnium principia, aliud bonum, aliud malum, posuere. *Florinus* quidam Seculo II. Deum peccati auctorem aperte blasphemavit, plusquam hæreticus inde a S. IRENÆO dictus (in fragm. epist. ad eum. opp. p. 339). Eum Sec. XVI. secuti sunt *Libertini*; quorum duces præcipui *Coppinus* et *Quintinus*, Sutores Flandri. Negabant hi quidem, peccata quidpiam praeter inanezi ac falsam opinionem esse; affirmabant tamen, quæ ab hominibus peccata dicuntur, a Deo, solo omnia in omnibus operante, fieri.

Hos duobus libris oppugnavit *Calvinus*, ipse tamen æqualis blasphemæ reus; peccata enim hominum Deo volente, definiente, imperante et impellente fieri plurimis in locis suarum Institutionum, Libri de aeterna prædestinatione, aliorumque operum scrispsit. Unde *BELLARM.* L. 2. de amiss. Grat. cap. 4. et seqq. demonstrat, a *Calvino* etiam fatendum, vel quod Deus vere peccatum, peccati auctor sit, vel quod peccatum preter inanem falsamque opinionem habeat nihil. Idem docuit olim *Lutherus*, ut patet ex assert. art. 36. et *Melancthon* in Comment. ad cap. 8. epist. ad Rom.

21. *Dico.* Deus non est causa vel auctor ullius peccati. Est de fide.

Prob. Ex *SCRIPTURA*, quæ disertis verbis negat Deum facere, velle, imperare peccata, aut ad ea incitare. I. Sap. 11. v. 23. de Deo dicitur: *Nihil odisti eorum, quæ fecisti.* Sap. 14. v. 9. autem: *Similiter odio sunt Deo impius et impietas ejus.* Ergo Deus non facit impium et impietatem. II. Psal. 5. v. 5. *Non Deus volens iniuriam tu es.* Ps. 44. v. 8. *Dilexisti justitiam et odisti iniuriam.* III. Eccli. 15. v. 21. *Nemini mandavit impie agere.*

Jerem. 19. v. 5. *Ædificaverunt excelsa Baalim, ... quæ non præcepi, nec locutus sum, nec ascenderunt in cor meum.* IV. Eccli. 13. v. 11. Non dixeris, per Deum abest : quæ enim odit, ne feceris. Non dicas, ille me implantavit : non enim necessarii sunt ei homines impii. Jac. 1. v. 13. Nemō, cum tentatur, dicat, quoniam a Deo tentatur. Deus enim intentator malorum est. Ipse autem neminem tentat.

Conf. Scriptura docet, peccatum soli creature proprium esse ; Osee 13. v. 9. *Perditio tua Israel, tantummodo in me auxilium.* Joan. 8. v. 44. *Cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur. Quia mendax est, et pater ejus.* Ergo nullo modo in Deum referri potest.

Prob. EX TRADITIONE. I. CONCILIORUM. ARAUSIC. II. (Labb. t. 4. p. 1670.) CAN. 23. hæc habet : *Suam voluntatem homines faciunt, non Dei, quando id agunt quod Deo displicet.* Et CAN. 25. *Aliquos ad malum divina potestate prædestinatos non solum non credimus, sed etiam, si sunt, qui tantum malum credere velint, illis cum omni detestatione anathema dicimus.* TRIDENT. Sess. 6. CAN. 6. *Si quis dixerit, non esse in potestate hominis vias suas malas facere, sed mala opera, ita ut bona, Deum operari, non permissive solum, sed etiam proprie et per se, adeoque ut sit proprium ejus opus non minus proditio Judæ, quam vocatio Pauli, anathema sit.*

II. PATRUM testimonia obvia sunt, et in decursu quedam afferentur. Inter eos S. IRENÆUS integrum opus contra hæresin hanc, teste Eusebio. L. 5. Hist. c. 20. edidit : S. BASILIUS homiliam, quam inscripsit : *Deus non est Auctor malorum :* S. AUG. Libros de libero arbitrio ex eadem polissimum causa etiam scripsit.

Prob. EX RATIONE. Deus causa et auctor peccati dicitur, vel quia ad id hominem moraliter movet : vel quia physice necessitat : vel quia concurrit, cum posset non concurrere : vel quia illud permittit, cum possit impedire.

Sed primum est falsum, cum Deus peccatum prohibeat, ab coque poenis propositis deterreat ; aut si verum foret, nec sanctus esset, nec justus scelerum ultor. Falsum etiam est secundum, cum homo libere peccet ; sin minus, homo non peccaret. Tertium non facit Deum peccati auctorem ; tum quia ejus concursus creaturis est debitus : tum quia ex se est indifferens : tum quia ab actione creata logice determinatur, et contra intentionem datur. Neque quartum id evincit ; quia Deus peccatum impedire non tenetur, et jure non impedit ; tum ut debitum causæ universalis impleat : tum ut, quod AUG. Enchir. c. 2. et 11. ait, *etiam de malo benefaciat.*

22. Obj. I. Sacra SCRIPTURA pluribus modis Deum declarat auctorem peccati. 1º. Tribuit Deo universim omnia mala. Sic Amos 3. *Si erit malum in civitate, quod Dominus non fecerit.* Isa. 45. 7. *Ego Dominus... faciens pacem et creans malum.*

R. D. Tribuit Deo omnia mala poenæ C. mala culpæ N. De primo textu autem S. AUG. cont. Admant. c. 26. ait : *Malum hoc loco, non peccatum, sed pena intelligenda est.* Idem sensus est textus secundi, ut S. HIER. in hunc locum aperie dicit.

2º. Significat Deum velle et decrevisse, ut mala fiant. Sic Genes. 45. *Non vestro consilio, ait Joseph, sed Dei voluntate huc missus sum.* Actor 2. *Hunc,*

Christum, definito consilio et præscientia Dei traditum, per manus iniquorum afflentes interemistis.

R. N. In his et similibus duo spectanda sunt : 1º. voluntas et actio mala fratrum et Judeorum ; hanc Deus præscivit, non tamen voluit aut decrevit : 2º. permissio hujus mali bona, et securita inde exaltatio Josephi ac redemptio nostra ; hæc ex præviso malo bona voluit et decrevit Deus elicere. Hinc Gen. 50. v. 20. JOSEPH ad fratres : *Vos cogitatis, ait, de me malum, sed Deus vertit illud in bonum, ut exaltaret me, ... et salvos faceret multos populos.* Et S. LEO serm. 67. (al. 63.) de pass. DOM. 16. c. 2. *Diversum multumque contrarium est id quod in malignitate Judeorum est præcognitum, et quod in Christi est passione dispositum.* Non inde processit voluntas interficiendi, unde moriendo ; nec de uno exitit spiritu atrocitas sceleris et tolerantia Redemptoris.

3º. Docet Deum creare impios, ut postea in eorum poenis manifestet suam justitiam. Sic PROV. 16. *Universa propter semetipsum operatus est Dominus, impium quoque ad diem malum.* EXOD. 9. *Idcirco autem posui te, Pharaonem, ut ostendam in te fortitudinem meam.* Ubi ad ROM. 9. dicitur : *Excitavi te. Et ibid. An non habet potestatem filius lutti, ex eadem missa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam ?*

R. D. Docet Deum creare impios formaliter tales, hoc est, quos ipse impios faciat N. materialiter tales, hoc est, quos videt ex propria electione impios futuros, subd. ita ut decretum, ad justitiam in impiorum suppliciis demonstrandum, præcesserit culpæ prævisionem N. ita ut prævisio culpæ antecesse rit decretum C. Itaque Deus etiam impium, qui sua sponte ad diem malum iturus erat, creavit ad gloriam suam. Sic enim AUG. epist. 106. (al. 486. n. 23.) ad PAULIN. : *Quamvis peccata non fecerit, naturas tamen ipsas, quæ per se ipsas sine dubio bona sunt, quibus tamen ex arbitrio voluntatis futura essent vitia peccatorum, et in multis talia quibus esset æterna pœna redenda, quis nisi Deus creavit ?*

Pharaonem, cuius liberam pervicaciam præviderat, posuit ac conservavit in regno, ut interpretatur RUPERTUS TUTIENS. in hunc locum, ad exercitium patientiæ Israëlitarum, et potentiae sue manifestationem. Novit ergo Deus, inquit AUG. q. 32. in EXOD. 1., *bene uti malis, in quibus tamen humanam naturam non ad malitiam creat, sed perfert eos patienter quousque scit oportere ; non inaniter, sed utens eis ad admonitionem vel exercitationem bonorum.* Denique sensus allegoriae de vasis figuruli est, homines, qui peccato originali vel etiam actuali damnationem meruerant, alios per misericordiam Dei salvari, alios pro meritis suis per suam justitiam pœna affici.

Ita explicat S. AUG. ep. 103. (al. 194. n. 30.) ad SIXT. *Quamvis Deus faciat vasa iræ in perditionem, ut ostendat iram et demonstret potentiam suam, quæ bene etiam utitur malis, et ut notas faciat divitias gloriæ sue in vasa misericordiæ, quæ fecit in honorem, non damnabili massa debitum, sed sue gratiæ largitatem donatum ; tamen in eisdem iræ vasis, propter meritum massæ in contumeliam debitam factis, id est in hominibus propter naturæ quidem bona creatis, sed propter vitia supplicio destinatis, iniuriam, quam rectissima veritas improbat, damnare novit ipse, non facere.*

4º. Dicit Deum homines ad peccandum incitare et impellere, jam per se, jam per angelos malos. Sic L. 2. REG. c. 16. *Dominus præcepit ei (Semei), ut*

malediceret David. Ibid. c. 24. *Commovit (Domini furor) David... dicentem: vade, numera Israel et Judam.* Et L. 3. c. 22. Deus spiritui malo, qui promiserat se decepturum Achab, ait: *Decipies, et pravalebis. Vade, et fac ita.*

R. D. Dicit Deum incitare et impellere proprie, hoc est, physice movendo voluntatem, vel moraliter per verum et proprium mandatum, suasionem aut alium modum impellendo N., improprie tantum et tropice C. Dicitur autem per tropum tripliciter Deus imperare malum, vel ad illud incitare. Primo quatenus permittit diabolum vel hominem male agere, sicut qui fræna equo generoso laxat, aut cani venatico fumem solvit, incitare ad cursum aut ad prædam immittere dicitur. Hunc modum tum alibi, tum L. de grat. et lib. arb. c. 23. S. Aug. usurpat: *Quando auditis, inquit, dicentem. Dominum, Ego Dominus seduxi Prophetam illum, etc... Quem vult, obdurat: in eo quem seduci permittit vel obduri, mala ejus merita credite.* Secundo, quatenus non tantum permittit malos male agere, sed deserit etiam eos, contra quos mali agunt. Hujusmodi indicium præbet Aug. epist. 89. (al. 157. n. 3.) dum exponens illud: *Et ne nos inferas in temptationem, ait: Intelligitur, ne nos inferri deserendo permittas.* Tertio, quatenus voluntates jam ex se malas ordinat ad unum potius malum, quam aliud; vel *permissive*, impediendo scilicet, ne hoc faciant malum, sinendo autem, ut faciant illud: vel *positive* tantum occasionaliter, immittendo scilicet affectum vel cognitionem bonam, unde malus sumat occasiohem judicandi melius esse facere hoc, quam illud malum.

Hunc modum adhibuit Hugo a. S. VICTORE L. 1. de Sacram. Parte 5. c. 29. (opp. t. 3.) *De illo autem modo divina moderationis, quo malas etiam voluntates... ad suum arbitrium temperat et inclinat, hoc sentiendum est: ut crederetur Deus malis voluntatibus non dare corruptionem, sed ordinem.* Et infra: *Voluntati mala vitium est ex ipsa, quo mala est: ordo autem ex Deo est, quo per velle sive ad hoc sive ad illud est... Potest ergo voluntas mala in se corrumpi et resolvi per proprium vitium quod ei aliunde non datur: sed non potest per velle extra se præcipitari, nisi qua ei via aperitur.*

S. AUGUSTINUS vero et TREODORETUS in illud Psal. 104. v. 23. *Convertit cor eorum, ut odirent populum ejus;* dicunt Deum id fecisse non pervertendo *Ægyptios*, sed beneficiando Israëlitis, unde illi majoris odii occasionem acceperunt. Atque ex horum uno vel pluribus explicari possunt omnia objecta; de quibus præterea adverte: in secundo textu, Deo permittenti adscribi, quod Satan fecisse L. 1. Paralip. c. 21. legitur: in tertio autem imperativum modum adhiberi pro significando futuro, secundum usurpatam alibi etiam in Scriptura phrasin. Simili ratione respondetur ad ea, quæ ex L. 2. Reg. cap. 12. de Absalonis incestu et aliunde de aliis objiciuntur.

5^o. Aserit Deum excæcare et obdurare homines malos; cæcitas autem et durilie, juxta S. Aug. L. 3. contra Julian. c. 3. n. 8., peccatum, causa et pena peccati est. Sic Joän. 42. *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaías: excæcavit oculos eorum et induravit cor eorum.* Et ad Rom. 9. *Cujus vult miseretur, et quem vult indurat.*

R. D. Aserit Deum excæcare et obdurare homines positive, hoc est, falsa prejudicia et erroneam conscientiam illis immittendo, quæ est cæcitas mentis, et affectum pravum ac admonitionum divinarum contemptorem voluntati tribuendo, quæ est duritia cordis N. negatice dulaxat vel per-

missive, scilicet cæcitatem et duritiem non impediendo, hominibus non miserendo, eos deserendo, et uberiora ac congrua auxilia, quæ dare non tenetur, subtrahendo C. Constans haec est interpretatio S. AUGUSTINI. Sic enim ep. 103. (al. 194. n. 14.) ad Sixtum loquitur: *Non obdurat Deus impertiendo malitiam, sed non impertiendo misericordiam.* L. 1. ad Simpl. q. 2. n. 13. *Obduratio Dei est nolle misereri; ut non ab illo irrogetur aliquid quo sit homo deterior, sed tantum quo sit melior non irrogetur.* Et Tract. 53. in Joan. n. 6. *Sic excecat, sic obdurat Deus, deserendo et non adjuvando: quod occulto iudicio facere potest, iniquo non potest.*

Positiva autem excecatio et obduratio est ab ipso homine; quod DAVID significavit monendo, dum Ps. 94. v. 8. dixit: *Nolite obdurare corda vestra;* CHRISTUS autem reprehendendo, dum inquit Matth. 13. v. 15. *Incrassatum est cor populi hujus, et auribus graviter audierunt, et oculos suos clauerunt, ne quando videant oculis, et auribus audiant, et corde intelligant, et convertantur, et sanem eos.*

23. Obj. II. S. AUGUSTINUS etiam peccata dicit fieri Deo volente, decernente, faciente et incitante.

R. Etsi hoc doceret, contra dogma fidei nihil probaret, sed deserendus foret. Damnata enim ab Alex. VIII. est haec propositio 30. *Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clare fundatam, illam absolute tenere potest, non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam.* Sed quam falso hoc a CALVINO obijciatur, videamus.

1^o. Deus juxta S. AUGUSTINUM vult peccatum; nam *primo*, peccata non sunt præter Dei voluntatem, nec eo invito, aut otiose spectante, aut imprudente, ut constat ex Enchir. c. 100. *Non fit præter ejus (Dei) voluntatem, quod etiam contra ejus voluntatem fit;* quia non fieret, si non sineret: nec utique nolens sinit, sed volens; ergo a Deo volente fit peccatum. Secundo, velle permittere includit velle fieri: atqui Deus vult permittere peccatum, ut patet ex textu jam citato; ergo. Tertio, Deus vult bonum: sed peccata fieri est quid bonum, ut ait ibid. Aug. c. 96. *Quamvis quæ mala sunt in quantum mala sunt, non sint bona; tamen ut non solum bona, sed etiam sint et mala, bonum est.* Quarto, etiam Deus vult peccatum ipsum, licet bona voluntate, nam ibid. c. 101. dicitur: *Aliquando bona voluntate homo vult aliquid, quod Deus non vult..... et rursus fieri potest ut hoc velit homo voluntate mala, quod Deus vult bona.*

R. N. Ass. ad 1^{um}. D. C. Ergo Deo volente permittere, fit peccatum C. Deo volente fieri N. Deus erga peccata non habet positive velle, quia bonus et justus est: talis autem non esset, si peccata vellet. Nec etiam habet positive nolle, quia omnipotens est: talis autem non foret, si aliquid fieret ipso absolute nolente. Habet tamen negative nolle seu conditionate non velle, quatenus peccatum prohibendo vult aut non fieri peccatum, aut puniri eum, qui peccat. Ex hac itaque ratione, et quia Deus vult permittere ut fiant peccata, apparel, quod peccata non fiant Deo imprudente, aut simpliciter invito, aut præter ejus voluntatem.

Ad 2^{um}. N. vel D. M. Velle permittere includit velle fieri, ex parte permittentis N. ex parte facientis C. Velle permittere mala est velle non impedire, ne fiant mala; quod potest esse bonæ voluntatis, præsertim in Deo, ad quem